

potestatis, quam consuetudinis humana loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minor, Dei potestatis est, non est cupiditatis humana. Expende vltima verba pro nostro instituto.

Matth. 15. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.

Num. 26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

VERSIONES.

Syriacus n. 25. Domine mi. Theophylact. Succurre mihi.

Syriacus n. 26. Non decorum est, accipere panem liberorum, & oblicere canibus.

Græcus. Non decens, ac conueniens est.

Vatablus. Non decorum est.

Arias. Non est pulchrum, sumere panem filiorum, & iacere canibus.

Tertull. lib. 4. Non est bonum, auferre contra Marc. panem filiis, & dare canibus.

ALTER TERTVS.

Marcii 7. n. 27. Qui dixit illi: sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

EXPOSITIO V.

89.



HANANÆA à Christo repulsa non desistit, sed instat. Venit. Hactenus mulier post eum clamabat, non accedens, quia Dominus nolebat loqui; nunc verò quia viderat, Dominum iam respondisse Discipulis, vt ait Abulensis q. 73. etiam putauit, quod sibi responderet. Et quamuis vsque modo mulier non prodiret in eius conspectum, vt notat Euthymius; nunc autem coram eo venit. Vt Discipuli, qui ob eius importunitatem, quia clamaret post eos, nunc venit in presentia, vt magis suam importunitatem exprimeret, vt quæ ob suam instantiam ceperat habere rogatores, ex ipsa importunitate donum obtineret. Adorauit. Supplex prociudit ad pedes eius, vt scribit Marcus 7. num. 25. Sperauit honoris, ac humilitatis officii benignitatem promereri. Domine. Deum confitetur. Adiuua me. Non ait, vt notat Carthusianus, & Palatius, sana filiam meam, sed adiuua me; calamitatem filiae propriam reputabat. Et ait, adiuua me, sciebat enim, quod solum suo adiuuamine salutem assequi poterat; & quod, si ipse suo adiuuamine inciperet, sanitatem perficeret.

Abulensis.

Euthym. Sequi viam orilem.

Marcus 7.

Carthuf. Palat.

90.

Græcus.

Qui respondens ait: Hæc est secunda Chananæa repulsa, & durior priore; illam enim canem vocat. Non est bonum, id est, vt habet Græcus, non est decens, & congruum. Princeps ex decencia, &

congruentia debet operari. Sumere panem filiorum. Cum filios nominat, patrem se dicit. Panem, gratiam scilicet Euangelij, ac miraculorum. Euthym. Panem dicit sanitatem, non corporum tantum, verum etiam animarum. De sacra Eucharistia interpretatur D. Theophylus lib. 1. in Euangel. Panem corpus suum dixit. Per filios autem Iudæi significatur. Exod. 4. num. 21. Psalm. 147. n. 8. & 9. Isaiæ 1. num. 2. Gratia enim Euangelij solis Iudæis, tanquam fidelibus, & filiis erat promissa. Vnde, iuxta D. Marcum, ait Christus, sine prius saturari filios; hoc est, prius sanem omnes Iudæos ad me venientes, meamque opem expostulantes. Et mittere canibus, scilicet Gentilibus (quibus erat hæc mulier); erant enim hi à Dei cultu alieni, & valde impudentes, cum publica idolorum fornicatione. Designatur, quod Israelitæ tunc in Dei familia id reputabantur, quod in hominis familia sunt filij; Gentiles autem, quod in hominis familia est quid abiectum, vt pote canes; quales erant omnes Gentiles, præcipue Chananæi, apud Hebræos, vt notant Theophylactus, Abulensis q. 75. Tamen breuiter Israelitæ malitia sua vt canes sunt habitij, Psalm. 21. num. 17. Philip. 3. num. 2. Gentiles verò Dei gratia in filios cuncti, vt asserit D. Chrysologus serm. 100.

Euthym.

Panis sacra Eucharistia, Theophyl. Exod. 4. Psalm. 147. Isai. 1.

D. Marcus.

Theophyl. Abulens. Psalm. 21. Ad Philip. 3. Chrysolog.

QUESTIO X.

Quare Dominus tanta asperitate respondit huic mulieri, vt eam canem appelleret?

91.

Res magna ponderatione digna, quod piissimus Iesus huic afflictæ mulieri, in qua tot, tantæque virtutes resplendebant, tam rigide responderit. Vnde Origenes homil. 7. de Diuersis dicit: Larvone liberasti, meretricem virginibus prætulisti, & solam miseram hanc mulierem despicias deprecantem? Quid est hoc verbum, inauditum miraculum. Valde mira est hæc Dei responsio, permittentis, fidelem mulierem tanta angustia premi, & cruciari.

Origen.

Ratio difficultatis.

92.

Respondet primò Theophylactus, Christus canem illam dixerat, eo quod Gentiles impuram agerent vitam, & in sanguine idolis immolatorum versarentur. Vel, vt ait Chrysolomus, eius sanguinis erant dediti, quod lambendo canes præstant. Tamen huic rationi obstat, quod mulier iam Gentilium cultum reliquerat, totaque in animam fidelem erat conuersa.

Theophyl.

Chrysol.

93.

Secundò Abulensis q. 76. ait, quod Christus non dixit hoc, ad ostendendum, quod nihil dandum erat de pane canibus; sed vt indicaret, quod non decebat tam citò subuenire canibus, sicut & filiis; & quia tunc erat tempus, quo prouidebatur Iudæis qui filij reputabantur, adhuc non erat tempus impertiendi canibus, id est alienigenis, sed postea exhibendum erat illis. Quod expressit D. Marcus, sine prius saturari filios, non enim decet sumere panem filiorum, & mittere canibus: id est, quandiu pascuntur filij, non est panis canibus dandus, sed postquam illi saturati fuerint, quod illis superest, dandum est canibus. Ita Christus docebat Iudæos, & miracula inter eos faciebat; adhuc non erat expletum tempus, Gentium prædicationi referuatum: Omnia enim suo debito, ac proportionato tempore sunt præstanda.

Abulens.

D. Marcus.

Omnia suo opportuno tempore exhibenda.

94.

Tertio D. Basilius Seleucus orat. 20. Nisi enim, ait,

Basil. Scil.

ait, talis fuisset mulier fortè inhumanitatis, aut impotentie Saluatorem condemnans audisset. Et post pauca subdit: Ab ea insuper tunc dictis spes excussit concepto morore? Canis in tanta hominum multitudine audio. Percepit mulier Christi verba, quibus se audit canem appellari; deinde videbat repulsam suam, ex qua multum mororem conceperat; & tamen in blasphemias non erumpit, sed patienter sustinet. Ex quo conice magnitudinem animi mulieris. Nisi enim talis fuisset mulier, fortè inhumanitatis, aut impotentie Saluatorem condemnans audisset. Animus morore affectus, deposita spe, multa incompota temere dicit, & eructat. Tristabatur Cain de bono fratris, de criminèque perpetrato in eius morte dicebat: Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear, Genes. 4. n. 13. D. Antiochus homil. 27. de Desperatione: Desperationis perturbatio, ait, ceteras passiones facit anteis, & grauitate, & inexplicabili angore; hominem præcipitat in infidelitatis barathrum adeo inclementer, vt nihil illi reliquum faciat speranda salutis.

Spe deposita animus multa incompota dicit.

Genes. 4. Antiochus.

95. Chrysol.

Quartò D. Chrysolomus homil. 17. ex variis in Matth. Hac autem, ait, ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, canes effecti sunt, dicente Paulo: Videte canes, videte malos operarios. Ad Philipp. 3. num. 2. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Hoc prolatum est in confusione Iudæorum; qui cum antea essent filij, cetera verò Gentes, velut canes; malitia sua meruerunt à filiatione Dei deturbari, & in miseram eorum conditionem degenerantes deuenire. Ad citatum Pauli locum quandam Glossam refert D. Thomas, quæ ita habet: Natura canis est, vt statim ex ira latret, non ex ratione, sed ex consuetudine, Isai. 56. num. 10. Canes impudentissimi nescierunt saturariem, ipsi pastores nescierunt. Et citatum locum Pauli versans D. Augustinus lib. de gratia Noui Testamenti: Canes, ait, appellauit, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes: hæc enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue illis boni, siue mali sint, non ad eos latrent; insolitis autem personis visis, etiam innocentibus irruunt. Et aliis multis canum naturam in illa gente prosequitur; quæ ex eo comprobatur, quod rabie, & furore excandescens populus ille in Dei filium, non aliunde prouocatus, nisi quia nouam doctrinam, in veteri lege sub cortice litteræ contentam, attulit, siue aperuit, & declarauit.

Ad Philip. 3.

D. Thom.

Isai. 56.

August.

Iudæi tanquam canes rabidi.

96. Chrysol.

Quintò D. Chrysolomus homil. 54. sic ait: Tu humilitatem illius mecum admirare: nam, cum ipse Iudæos filios appellasset, adeo procul aberat, ne liuore laudis contaminaretur, vt manus adiecerit, atque dominos nuncupauerit. Nam & catelli edunt de mensa dominorum suorum. Tam dure respondet Dominus, vt non solum fides, ac humilitas mulieris manifestaretur, sed etiam vt illius magnanimitas patefieret: nam, cum audisset, alios, nempe Israelitas, in tantum sublimati, vt filij nuncuparentur; tamen illorum laudis, ac gloriæ inuidia minime est mulier contaminata, sed potius eorum gloriam magis decantat, vt etiam dominos fateatur; in quo maxime animi huius femina celsitudo declaratur, cum aliorum laude nulla tabescat inuidia. De Romanis ait Iudas Machabæus: Non est inuidia, neque zelus inter eos, 1. Machab. 8. num. 16. Zelus, id est, æmulatio, vt explicat Cornelius. Quæ de ipsis dicuntur, cum totius Orbis dominatum tenerent; & nulla erat inter eos inuidia. Extabant illi totius Orbis domini, & principes, ac prouide,

Magni virt est, nulli habere inuidia.

1. Mach. 8.

Cornel.

vt pote magni, nullo liuore inficiebantur. Paruum enim occidit inuidia, Iob 5. num. 2.

Sextò D. Basilius Seleucus orat. 20. Mater, ait, pro filia rogans tulit repulsam. Sed ò sapientia fons! Idcirco Chananæa supplicantis moras iniecit, quia illa dilationis impatiens acclamaret Domine, & catelli edunt de mensa dominorum. Centurio verò dixerat: Domine non sum dignus, Matth. 8. num. 8. Tot moras necit Dominus cum Chananæa, cum valde propere se exhibuisset Centurioni. Vnde tanta rei differentia? Centurio venerat suam indignitatem recognoscens: Domine, non sum dignus. Mulieri verò maxime differt in postulatæ concedendis, quoadusque illa se deiceret ad canis humilitatem: Nam & catelli edunt, & c. simulque cum sua deprecatione, quæ clamat post nos, coniungeret humilitatem, vt gratiam promeretur accipere. Ecclesiastici 25. num. 21. Oratio humilantis se nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non descendet donec altissimus aspiciat.

Iob 3.

97. Basil. Scil.

Matth. 8.

Oratio cum humilitate valde efficitur.

Eccles. 25.

98. Math. 26.

Græcus.

Oratio cum humilitate, ad Patrem volat.

Origen.

99. Ionæ 3.

Oratio cum humilitate fundata.

Victor Car.

QUESTIO XI.

Quare Dominus tantis cunctatur cum Chananæa?

ALDE mirum, quod Dominus tantas moras connectat in huius mulieris petitione annuenda, cum, qui citò dat, bis det. Illa sequitur

100.



per viam; ille abiens fugit: illa clamat, ille tacet: illa ad pedes prouoluta humiliter deprecatur; ille seuerè repulsam impingit. Non est bonum sumere panem filiorum, &c. Si Domine in has terras donaturus aduenisti, ad quid huic afflictæ misereri differes? Pulchrè D. Basilius Seleucus orat. 20. Parturiens, ait, donationem retrahere simulat, licet ardentius ipse dare desideraret, quam, quæ aduoluebatur genibus, accipere. Expende verbum, Parturiens donationem: quod dolores parientis innuit. Deus vehementius desiderat nobis concedere, quam nos accipere; tametsi aliquando ex grandi mysterio differat. Parturiens donationem: sicut mulier partus doloribus angitur, ac cruciatur, dum genitum non emittit; sic quodammodo, vt ita dicam, Christus, dono non edito, cum pia, & fidelis anima perit.

Basil. Sel.

Christus quodammodo angitur, dum nostris postulat non annuit, sed differt.

101.

De hac ergo mysteriosa mora nobis est inquirendum. De quaestione autem inter hanc sceminam, & Centurionem, cuius petitioni cito Christus annuit. Vide tom. 3. cap. 11. q. 11. Ad præsentem quaestionem

102.

Respondeo primò. Quòd Deus aliquando differt dona sua largiri, vt nostra virtus, fides, patientia, ac perseuerantia, & humilitas declaretur. Ait Deus Abrahamo: Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, Genes. 12. num. 2. Cur Deus non statim promissa dona concedit, sed in longum tempus differt, spes enim, quæ differtur, affligit animam? Ad quid ergo tantum tempus interponitur? Ita Deus alta sua dispositione se solet exhibere, vt doni dilatione magis virtus exercetur, ac probetur. D. Chryostomus homil. 31. in Genes. Cum promissionem, ait, promissionibus adiunxisset, iterum paruum moram facit, & differt, vt hac potissimum ratione Patriarchæ pietas demonstretur.

Genes. 12.

Dilatione doni virtus exercetur.

Chrysof.

103.

Secundò multum ponderandum, quanta cum mora se Christus habeat erga hanc mulierem. Primò non respondit ei verbum. Secundò rogatus ab Apostolis ait: Non sum missus, nisi ad oves. Deinde cum ipsa clamat: Adiuua me: magnam dat repulsam: Non est bonum, sumere panem filiorum, &c. At postus in Cruce ad vnum verbum Latronem exaudit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso, Luc. 23. num. 42. Cur tam incunctanter cum Latrone; tam morosè verò cum hac muliere? Christus Dominus secessit in partes Tyræ, & Sidonis, veluti singularem personam, ac priuatum doctorem representans; vnde & ibi latere voluit, vt ait D. Marcus 7. num. 24. At in Cruce distentus publicum regem, iudicem, ac magistrum præferebat, vt ait Godfridus serm. 5. de Resurrectione Domini: Verè positus in Cruce Dominus indicabat, iam agnos ab hædis regia potestate separabat; vbi latronem alterum in dextris positum vocauit ad gloriam: alterum positum in sinistris in pena dimisit censura iustitiæ. Vnde & nobis magnum datur documentum. Quod si veluti dum persona priuata existit, in pauperum petitionibus lentius se exhibeat, tolerandum. At verò, cum vt iudex, & rex se habet, afflictorum precibus indilatè optuletur, pauperemque inuenit: ideo enim honoratur rex, vt miseris consulat, nullâque incunctatione habeat excusationes. Hinc Christus, cum veluti particularem gerit personam, non in momento indulgit Chananeæ: in Cruce verò, vt publicus rex, citò subuenit Latroni.

Luc. 23.

D. Marcus.

Godfrid.

Rex citò subueniat miserum causis, ac postulatibus.

104.

Psalm. 44.

Aternum Verbum per Dauid canit: Lingua tua calamus scriba velociter scribens, Psalm. 44.

num. 2. seu, vt alij legunt, Festinanter, seu promptè loquentis. Aternum Verbum Aeterni Patris lingua, per quod ipse Pater dixit, & fecit omnia, vt in citato Psalmo interpretantur D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Chryostomus, S. Thomas, nofter Incognitus. Sic ait D. Paschasius in expositione huius Psalmi. Vox Patris continuatur, qui prædicat de Filio, quod ei sua indicet opera, iuxta illud: Ipse dixit, & facta sunt. Quomodo tanta agilitas in hac voce proferenda? Solemniter solent graues personæ, vt reges, ac dynastæ morosè, ac cunctanter loqui. Sic & sapientum mos est, vt circumspèctè tardi, ac morosi sint in sua declaranda mente. Cur ergo Aternum Filius tam festinus, ac celeratus in dicendo? Introducitur ipse, vt totius Orbis Rex? Dico ego opera mea Regi. Valde ergo conuenienter, cum ipsæ vniuersæ præsit creaturæ celeratus, & festinus in aliorum causis audiendis, ac diiudicandis, miserisque subueniendis exprimitur. Citatus Paschasius: Hoc quippe, ait, est, illi dicere opera sua regi, quod est genuisse regem; non solum per quem crearet omnia, verum per quem redimeret, & regeret vniuersa: & ideo hoc in loco potius regem, cui sua indicat opera, debuit nominare. In hac proportionem explicabis id, quod de Christo ait Isai. 8. num. 1. Velociter spolia detrahe, citò prædare. Ait D. Irenæus lib. 3. cap. 18. Hæc sunt opera Christi, vt pote Regis, & Domini.

August. Hieron. Chrysof. D. Thom. Incogn. Paschasius.

Rex sit festinus in suorum causis audiendis, & subueniendis. Paschas.

Isai 8. D. Iren.

Matth. 15. At illa dixit; Etiam Domine, num. 27. ne, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

VERSIONES.

Vatablus. Certè Domine, etenim. Theophylactus. Etenim catelli comedunt. Syriacus. Etiam Domine mi: quoniam canes edunt de micis, quæ cadunt à mensis dominorum suorum, & viuunt. Arias. De micis cadentibus.

ALTER TEXTVS.

Marc. 7. n. 28. At illa respondens dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

EXPOSITIO VI.

RECTE ait Euthymius, Quod adeo repulsa Chananeæ, non discessit, fidei erat: quod verò se catellam est confessa, humilitatis: quod autem à Christi sermonibus patrociniū sibi aptauerit, prudentiæ. Quæ valde mira est: nam ex dictis Christi pro se veluti arguendo argumentum fecit. Etiam Domine, hoc est confirmo, & admitto id, quod dicis; non enim conuenit, vt mihi Gentili præbeas panem filiorum, hoc est gratiam miraculorum, Iudæis promissam; sed vt pote catella, veluti stans sub mensa, cum sim pars familiæ Domini mei, nutrienda sunt micis filiorum, seu domi

105. Euthym.

Mulier ex dictis Christi argumentum pro se cõfecit.

dominorum. Sanationem filia suæ tanquam micam dicit factam inter Gentiles, collatione cum ingenti copia miraculorum, quæ Christus per singula momenta inter Iudæos perfundebat.

QUESTIO XII.

Quare Chananeæ canis nomine repulsa, adhuc efficaciter pro filia salute deprecanda instat?

106.

VRAM repulsam Dominus dat Chananeæ, eam canem dicens: Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa, tam aspero verbo percepto, non recedit, sed efficaciter instat. Etiam Domine, nam & catelli, &c. quod potius humilitatis, quàm fidei videbitur indicium; & si humilitas hic enituit, multò magis & fides resplenduit. Vnde & Dominus de fide eam laudat. O mulier, magna est fides tua! nam canis abiecto appellata nomine, iniuriosam intuita repulsam, fidem conseruat. Hæc magna est fides, illiusque magna probata cellitudo. A Deo veluti repulsam pati, & Deum exquirere, flagellari, & libenter sufferre, affligi, & fidem retinere. Hæc est enim fidei præclara magnitudo. Excellentem virum Marcum deprecabantur quidam amici, vt actione quadam non admodum decora imminens periculum fugeret, minantemque mortem euaderet: Ipse autem sic respondit, vt testatur Plutarchus in eius vita. Honestè agere, ait, sine periculo, omnibus commune; cum discrimine vero, hoc proprie boni viri officium est.

Magna fides, à Deo pati repulsam, & Deum sequi.

Plutarch.

107. Ambros.

Secundò D. Ambrosius in cap. 16. Lucæ. Agnouit, ait, Chananeis illa mysterium, cui dicitur: Nemo tollit panem filiorum, & mittit canibus. Agnouit hunc panem, non panem esse, qui videtur, sed illum, qui intelligitur; & ideo respondit: Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Dixerat Iesus, panem filiorum canibus non esse exhibendum. E contra, mulier affirmat, illis porrigendum. Si Christus denegat, quomodo tu mulier affirmare audes? Alta mente mulier attendebat, non ad panem vsum, cuius similitudinem Dominus exprimebat; sed ad substantialem diuinæ mensæ panem sub cuius figura Dominus hic agebat, vt ex D. Theophylo dixi superiori expositione. Cum ergo mulier perceperit, ibi diuinum illum panem esse intelligendum, statim est argumentata, non solum pro filiis, dominis, ac principibus esse diuendum, sed etiam pro seruis, humilibus, ac catellis, si ad patris familiarum pertineant. Hæc enim celestis mensa nullum familiæ suæ etiam abiectum excludit. Manducat pauper, seruus, & humilis.

Mensa Eucharistica filios, & seruos excipit.

180. Basil. Sel.

Tertiò D. Basilius Seleucus orat. 20. sic introducit sceminam loquentem. Canem vocasti, ait, cum sim familiæ pars, Domini fruar mensa, inter filios partem micarum adipiscitur canis. Auditis Christi verbis: Non est bonum sumere panem, &c. Non iniuriosam repulsam cogitat mulier, sed magnam concepit spem. Canem se mulier audit appellari: ex quo sagaciter, ac prudenter magnam sibi intuit felicitatem. Canis est pars familiæ domini, & licet ad mensam domini non accumbat, tamen cadentibus micis è manu Domini pascitur, ac nutritur. Tam liberalis enim est manus Dei, vt dum filiis porrigit panem, sinat etiam assistentibus ca-

nibus decidere micas. Tam copiosa est Dei misericordia, vt, dum ad quosdam diffunditur, etiam ad vicinos, ac proximos se extendat. Introeat in conspectu tuo genus compeditorum, secundum magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum, Psalm. 78. num. 12. Pro sanctis Martyribus exorat Ecclesia, qui per Apostolorum prædicationem in Christo sunt regenerati. Et statim subdit: Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum. Vt inquit Angelus, Brunonius, Nofter Incognitus, Non contra illos, sed pro illis rogat Ecclesia. Non vltionem, sed misericordiam Dauid exorat; sciebat enim Dei benignitatem, quæ nescit in vnum se diffundere, quin etiam stagnet in alios.

Misericordia Dei sic in vnum definit, vt etiam se porrigat ad alios. Psalm. 78.

Angel. Brunon. Incogn.

109. Basil. Sel.

Quartò D. Basilius Seleucus orat. 20. sic in persona Chananeæ loquitur: Etiam Domine, contumeliam teneo curationis pignus. Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Spondet mihi salutem canis appellatio. Reiciit mulier vt canis; & inde magno feruore concepto validius instat. Vnde tanta mulieri spes? Ex ipsa sanè contumelia: sciebat enim, quod, vbi amor viget, seueritas, ac asperitas, est beneuolentiæ, ac gratiæ pignus. Cum ergo diuini amoris diuitias agnosceret, ex ipsa contumelia indulgentiam gratiarum coniecit. Deinde quia optimè præcallebat, quòd Deus illa contumelia non affligit, vt deserat, sed vt probata potentia magna dona conferat.

Seueritas in amare, beneuolentia pignus.

110. Genes. 44.

Cum portantes frumenta fratres discederent ex Aegypto, mandauit Ioseph suo procuratori: Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris, Genes. 44. num. 20. Postea verò cum ex Aegypto profecti parum itineris haberent, comprehensi in via de furto arguuntur. Inito pacto, quod apud quem fuisset inuentus, moreretur; apertis omnium faccis, apud Benjamin repertus est scyphus. Qualenam omnium perturbatio? Qualenam angustia; ac afflictio animum Benjamin cruciabat? Veluti reus astringitur, seuerumque ante iudicem deferatur, ac in perpetuum damnatur seruitutem. Ad quid huiusmodi rerum tragædia? Ad quid tot pressuras, afflictiones, ac opprobria congerunt in dilectissimum iuuenem; Non sanè vt opprobria, ac afflictiones, sed vt certissimum gratiæ pignus, quam breuiter erga illos erat exhibiturus, vt fratres scilicet suos recognoscens, eosque apud se retinens, & honorificans. D. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 16. Reum statuit rapine, ait, vt obsidem teneret gratia. Et D. Gregorius homil. 22. in Ezech. Mituit, ait, vt reducantur addicti in seruitutem. O tormenta misericordie!

Inducitur afflictio, vt conferatur gratia.

Ambros. Gregor.

111. Osee 6.

Ait Osee cap. 6. num. 2. de Deo: Ipse cepit, & sanabit: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: in tertia die suscitabit nos. Expende verbum, percutiet, & curabit nos, viuificabit nos. Nam percutio, & flagellatio signum est nostræ curationis, ac viuificationis, quæ suscitabit nos. Pro quo expendit locum Ioannis 2. num. 15. quod ingressus Iesus templum, cum inuenisset vendentes, & ementes, factò flagello omnes eiecit è templo. Et statim subdit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Per templum intelligit suum corpus mysticum, vt in sensu morali interpretatur D. Dionysius Alexandrinus Episc. contra Paulum Samositan. q. 3. vt retuli tom. 2. cap. 2. q. 17. num. 87. vbi de vero sensu morali egi: nunc sententiam Dionysij prosequamur. Quare possunt homines opprobrio, ac flagellatione eiectione, statim de ipsorum hominum gloria, ac resurrectione

Ioan. 2.